



PRINCIPES  
HOLLANDIAE  
ET ZELANDIAE,  
DOMINI FRISIÆ:

Auctore Michaële Vosnero.

*CUM genuinis ipsorum iconibus, à Theodorico Aquitania ad Iacobam Bauariae diuersorum quondam pictorum opera, ad viuum sedulo depictis: Nunc autem primum ex vetustissimis parietibus, in Carmelo obsessæ urbis Harlemi, per præsidiarios direpto, industria Guilielmi Thybauti repertis, ac sincerè unà cum reliquorum Principum figuris, ad instar probatissimorum exemplarum delineatis.*

*Philippus Galle. excud.*

*Cum priuilegio Regis.*

1578



ANTVERPIÆ  
Excudebat Christophorus Plantinus  
Philippo Gallæo.

M. D. LXXVIII.

RENATI DVNII  
EPIGRAMMA.

*Quo Batavi primum Comites sint orbe profecti,  
Ora, togas, thalamos, tempora, gesta, rogos;  
Hac brevis haud obscura tamen, spectanda tabella  
Exhibet: haud Batava scilicet auris opus.  
Patria multa tibi debet mi docte Michaël,  
Quòd longo priscos ordine discet heros.*

CLARISSIMO VIRO<sup>3</sup>

D. ARNOLDO ZASBOVT,  
DOMINO IN SPALANDT, ARCANI CONSILII  
INVICTISS'. D. PHILIPPI II. CATHOLICI  
HISPANIARVM REGIS PRÆSIDI VIGILANTISS'.  
I. MICHAEL VOSMERVS S.

**M**axime secreti Præses ZASBOVTE Senatus,  
Quem clarum stirps nostra tulit, decus altius effert,  
Si qua salutiferis Venus est ARNOLDE Camœnis,  
Accipe, sed placidus: labor hic te Præsede fretus  
Forsan abortivum Musarum, forsan alumnium  
Spectandum dubio prodet, statuétue teatro.  
Mœnia qui priscis dicta ANTONINA frequentans,  
Hic cœti surrepta soletur funera matris,  
Infaustum patriæ meditando pressit amorem.  
Dum (genus inuisum) miles, dum civicus ensis,  
Nec patriam Cognate fidem nec iura verentur.  
Scilicet imperij melioris surget origo.  
Et decimi census & ferrea scita peribunt.  
Fluxa fides hominum, nullo contenta magistro.  
Si quis erit, quem fallit adhuc, quæ patriæ tellus  
Plus septingentis confessa probavit ab annis,  
Incertum decurrit iter, quia tramitis expers  
Cacutit, nigrâque mori sub nocte laborat.  
Audiet hæc saltem meliori sidere natus.

Ultraiectum  
intelligit, ad  
veteris Rhe-  
ni alveum,  
quondam  
Antonina  
dictum.

Periphrasis  
temporis.

CAROLVS has terras, hæc conscia flumina CALVVS  
HOLLANDI, BATAVIQ. soli largitus & uni

Didericus  
Aquitaniæ,  
Sigiberti  
ducis Aquitaniæ  
filius

minor, ob egregia facinora artisque bellicæ peritiam, Comitatu Hollandiæ donatus à Carolo Caluo imperatore, anno humanæ salutis sexagesimo tertio supra octingentesimum, à quo tempore ad inaugurationem Catholici Regis Philippi anno 1549. supputantur anni sexcenti, sex & octoginta.

A 2

D I D E.

4

**D**IDERICO, ut COMITI seruirent, tradidit olim.  
*Asscripsit VALACHROS frater LUDOVICVS, ab illo  
 Hares heredi patrio successit honore.*

Valachri, i.  
 Zelandi, à  
 Ludouico  
 Rege, Ca-  
 roli Calui  
 fratre.

De Helyo  
 & Fleuo, vi-  
 de Plinium.

*Non ego finitima referam confinia terra,  
 Aut HELII dites portus, gemina ostia FLEVI,  
 Seu varios casus BATTI, quibus actus in oras  
 Flauentis RHENI glacialis limite MOSÆ*

Bataui, vt  
 ait Tacitus,  
 Cathorum  
 quondã po-  
 pulus, & in  
 eas sedes do-  
 mestica fedi-  
 tione tranf-  
 gressus duce  
 Batto, vnde  
 nomen for-  
 rita est insu-  
 la. Seditio-  
 nis ansam  
 flumen gi-  
 gnendo sale-  
 fecundum  
 præbuisse  
 ferunt.

*Delegit requiem sociis, BATAVAM Q. vocauit  
 Nomine de proprio gentem, ritumque locumque.  
 Seditio postquam patrius de sedibus ansam  
 Fecerat erroris populo, quibus aquoreum sal  
 Querere CATHIACIS fuit ultima cura sub undis.*

*Tentavi quandoque eadem verbisque solutis  
 Narravi BATAVOS COMITES, sed nescius illos*

*Tanto vate cani: BARLANDI pagina postquam  
 Est manibus versata meis, damnata cadebant*

*in cineres mea scripta mihi, pœnasque luebam  
 Ipse meas, donec reuocatis fonte Camœnis,*

*Omnia quæ filo cantâram gesta soluto  
 In metrum spreta cogebam nuper ab arte.*

Argumen-  
 tum.

*Scilicet ut vitas, ortus, obit usque notarem,  
 Temporâque, aut vitæ spatium, tedâsque, rogôsque.*

*Quilibet ut plana valeat ratione tueri*

Scopus.

**REGIS** opes, Comitumq; suum, Dominumq; PHILIPPVM:

*Cuius ab auspiciis sancta, te Præsides, leges*

*Aurea quæ spondent renouatis secula terris,*

*Incipiunt iusta paulatim currere meta:*

*Interea, generisque iubar, columenque Batavum,*

*Sospes aue, longumque vale: iuuet ista tueri.*

A D

A D L E C T O R E M.

**Q**Vanta hominum variis sedet inconstantia rebus  
Assiduis tot regna docent successibus aucta,  
Auspiciis tentata bonis, vi, legibus, atque  
Consilio stabilita, opibus florentia, demum  
In nihilum conuersa. Vetus memorabile nomen  
Assyriæ Babylonis erat, licet indole multa  
Quæsitum, longè maiore minantibus astris  
Desidia euersum. Medorum sceptrum tyrannus  
Flexit Achæmenius: Persas Pellæa iuuentus:  
Et Pandionias fudit Lacedæmon Athenas.  
Clarâque cum populis ceciderunt mœnia Thebes,  
Æmula Romanis Carthago. redemerat urbem  
Roma suam pretio, Stilico quam prodidit, inde  
Nunc captiua Getis, nunc fœdo concidit igne.  
Usqueadè nihil in terris quod nesciat æui  
Ferre vicem. Quondam Phœnicum Cadmus ab oris  
Exul, Bœotum posuit sua mœnia terris:  
Massiliam Delphi: Byrsam Sidonia Dido:  
Antenor patria profugus, sub collibus urbem  
Euganeis statuit Pataui: Dux Troïus Albam.  
Battauiam Battus, Cattorum finibus actus,  
Et Batauodurum turritam condidit urbem.  
Hæ Batauæ fauces terræ, & primordia gentis,  
Qui propter gelidi sinuosa volumina Rheni  
Innumeras struxere casas, castella, domosque,  
Oppida cum vicis, celsis cum mœnibus arces,  
Quorum reliquias, ruderumque videmus acervos,  
Præcipuè infandam Cattorum nominis urbem,  
Non procul Oceano, Ledæ nec longiùs vrbe.  
Nondum Leda fuit, Ledæ magalia tantùm.  
Hic populus patrias, suetasque redibat ad artes,

6

Eque falo mira arte falem condebat in vsus.  
Libera gens dudum : Romanis sponte fauebat,  
Namque fidem faciunt Romana palatia passim,  
Atque Pharus Caij Caligæ super ostia Rheni:  
Innumeræque arces fociaë, nullisq̃ue tributis  
Cattigena attritus, Romanis sponte fauebat,  
Sponte rebellabat, dum libertate periret  
Aurea libertas, variis quæ prodita bellis,  
Indomitosq̃ue Dacas, aut Norica damna timebat:  
Omnibus exemplo mortalibus: infima quæque  
Aspirant sublimè decus, cùm celsa residunt.  
Donec Liligerûm genus alto à sanguine Regum,  
Patre Sigisberto, Theodoricus integra terræ,  
Induperatoris generoso munere Calui,  
Iura capit, roseumq̃ue gerens insigne leonem  
Aurato in clypeo, transcribit lilia Francis  
Regibus, & solitum Batauis inducit honorem.  
Nempe toga, belloq̃ue potens, in vtrumque paratus,  
Perpetuum natis regnum, soboliq̃ue reliquit.  
Sic placitum Superis, sic magnus Rector Olympi  
Annuit, & stabilem ventura in tempora sedem  
Attribuit Regi, patrimonî in secula fortem.

M O N O.

MONOSTICHA DE ORDINE  
ET TEMPORE IMPERII SIN-  
GVLORVM PRINCIPVM.

1. Theodoricus Aquitanix.	<i>Per quatuor decadas Primus dat iura Batauis.</i>	40
2. Theodoricus secundus.	<i>Hic septendecimum finit moderamine lustrum.</i>	85
3. Arnoldus Hollandix.	<i>Quinta sed Arnoldum Phrisiis malè prodidit æstas.</i>	5
4. Theodoricus tertius.	<i>Ter trédecim, septémque hiemes Theodoricus exit.</i>	46
5. Theodoricus quartus.	<i>Æstas nona diem supremum infecit ab arcu.</i>	9
6. Florentius primus.	<i>Hebdomadas Florus geminas amisit in umbra.</i>	14
7. Gertrudis, vidua Florentij.	<i>Vnum Gertrudis sedit viduata Decembrem.</i>	1
8. Robertus Phriso.	<i>Octauo retinet sub Consule frena Robertus.</i>	8
9. Gothiphædus Lotharingix.	<i>Temporis &amp; mediúm vi Gothiphædus obibat.</i>	4
10. Theodoricus quintus.	<i>Hebdomadem decadi quintus Theodoricus addit:</i>	17
11. Florentius Obelus.	<i>Ac ter septenis decadem Florentius annis.</i>	31
12. Theodoricus sextus.	<i>Octo lustra regit Sextus, superosque relinquit.</i>	40
13. Florentius tertius.	<i>Térque nouem messes &amp; Florus tertius implet.</i>	27
14. Theodoricus septimus.	<i>Tertia post decimam te Septime finiit æstas.</i>	13
15. Ada, Theod. septimi filia.	<i>Ada semel tantùm bifrontem vidit Ianum.</i>	1
16. Guilielmus primus.	<i>Prime nouemdecies Guilielme potiris habenis.</i>	19
17. Florentius quartus.	<i>Zelotypus Florum bis sexto sustulit anno.</i>	12
18. Guilielmus II. Rom. Rex.	<i>Cæsar olympiacas quatuor, sed cæsus, habebat.</i>	20
19. Florentius quintus.	<i>Lustráq. post septem fossus, sex Quinte Nouembres.</i>	41
20. Ioannes Hollandix.	<i>Per quatuor messes Batauis regnabat Ianus.</i>	4
21. Ioannes Hannonix.	<i>Alter olympiadem claudit non degener Hanno.</i>	5
22. Guilielmus Bonus.	<i>Trigintáque duos fasces Bonus inde gerebat.</i>	32
23. Guilielmus quartus.	<i>Nona necem Quarto in Phrisia prædixit hirundo.</i>	9
24. Margarita Ludouici vxor.	<i>Margarita tibi gliscit noua factio lustró.</i>	5
25. Guilielmus quintus.	<i>Autumnis septem sedit, rapitúrque phrenesi.</i>	7
26. Adelbertus Bauariæ.	<i>Alberto post lustra nouem non defuit annus.</i>	46
27. Guilielmus sextus.	<i>Tertia post decimam Guilielmum sustulit æstas.</i>	13
28. Ioannes Bauariæ.	<i>Sexta Leodinum nec pasta ciconia tollit.</i>	6
29. Iacoba Bauariæ.	<i>Femina per decadem terris iactatur, &amp; alto.</i>	10
30. Philippus Burgund. Bonus.	<i>Post decades ternas quatuor Bonus addit aristas.</i>	34
31. Carolus Audax.	<i>Carolus hebdomadem trieteride finit in armis.</i>	10
32. Maria Charlesia.	<i>Præcipitatur equo quinta Charlesia messe.</i>	5
33. Maximilianus Austrius.	<i>Maximus hebdomadem quinis coniungit aristis.</i>	12
34. Philippus Austrius.	<i>Tantundem proles festina morte Philippus.</i>	12
35. D. Carolus Augustus.	<i>Carolus autumnis tredecim sex lustra coëgit.</i>	43
36. D. Philippus Catholicus.	<i>Seriùs, aut nunquam terris discede Philippe.</i>	



8 HOLLANDIÆ ET ZELANDIÆ  
DOMINVS FRISIÆ.

Theodoricus Aquitaniæ.

Comitatus  
Hollandiæ  
à Carolo  
Caluo Im-  
peratore.

Comitatus  
insulæ Zelã-  
diæ (quam  
Valachriam  
nominam⁹)  
à Ludouico  
Caroli Cal-  
ui fratre.

Præfuit Hol-  
landiæ annis  
40. Vxor  
Theod. Ge-  
na, seu Gun-  
na, filia Pu-  
pini mino-  
ris, Regis  
Italiæ.

Fûdatio mo-  
nasterij Eg-  
mundensis.

Theodor. se-  
pultus Eg-  
mundæ.

Theodoric.  
oriundus à  
Troianis.

*Prima* BATAVORVM, & VALACHRÆ *dotalia gentis*  
*Sceptra* COMES gessi, CALVVS *ut illa dedit.*  
CAROLVS HOLLANDÆ, FRISIÆ *Q. insignia terra,*  
ZELANDÆ *asscripsit mox* LVDOVICVS *opes.*  
*Seditione tamen solio turbatus, amica*  
INDVPERATORIS *restituerebar ope.*  
NORICVS & DANVS *veriti mea sceptra per annos*  
*Quadraginta: uxor regia* GENA *fuit.*  
*Hinc ubi vestales* EGMVNDI *in valle sacraram,*  
*Condor humo, TROIÆ dinumerandus avis.*

COMITVM I.

9



I

Theodoricus Aquitanicus

B

IO HOLLANDIÆ ET ZELANDIÆ

Theodoricus, *sen* Didericus secundus.

*Ille ego, qui BATAVVM solij successor, & haeres,  
Bis FRISIÆ vici per fera bella duces.*

*A Equarant illi chari monumenta parentis,  
Virginibusque sacris templa dicata, solo.*

Monasteriū  
Egmondēse  
restauratum,  
virūq. insti-  
tuti D. Bene-  
dicti traditū.

*Templa, pater fragili ligno qua fecerat antè,  
Saxea restituo, dans habitanda viris.*

*De FRANCISCIADIS legitur mihi virgo puellis*

Hyla Theo-  
dorici vxor,  
filia Ludoui-  
ci regis Frā-  
cia.  
Theodoricus  
sepultus Eg-  
mondæ.

*HYLA, ferens clarum Regibus orta genus.*

*Vix septendecimum iusto moderamine lustrum*

*Expleram, patris cum tegor ad tumultum.*

Menda est in Barlando, vbi habetur, hunc Theodoricum obiisse anno suæ gubernationis octoagesimo octavo, cum annales, quos sequimur, asserant, desiisse viuere anno humanæ salutis 988. patèrque obierit anno 903. Ex quibus non plures quàm quinque & octoaginta anni colligi possunt.

COMITVM II.

II



2 Theodorius Secundus

B 2

12 HOLLANDIÆ ET ZELANDIÆ

Arnoldus Primus.

*Sic ARNOLDVS eram, quem Dardanus INDVPERATOR  
LVTCHARIDIS nata prætulit esse virum.*

Lutcharis,  
Theophanis  
Byzantiæ  
Imperatoris  
filia, Arnoldo  
nupsit.  
Brederodij  
à Zyphrido  
oriundi.

*DIDERICVM prius, hinc ZYPHRIDVM sustulit uxorem.*

*Vnde genus iactet gens BREDERODA suum.*

*Nil facit ad titulum minor hic, prior ille triumphet:*

*Vsurpare dolis iura aliena, nefas.*

*Regni fatales hostes, sceptrisq; rebelles*

*Subieci FRISIOS armipotente manu.*

Arnoldus in  
Frisia cæsus.

*Non secus occubui (medio licet agmine casus)*

Sedit annis  
quinque.

*Quàm Frisia prima victor olympiade.*

COMITVM III.

13



3

Arnoldus Hollandie

B 3

14 HOLLANDIÆ ET ZELANDIÆ

Theodoricus Tertius.

*Vltor ut hostiles euerriculauerat agros,  
Ad patris inferias qua iuuat ire uia.*

Bellum ad-  
uersus Fri-  
sios.  
Bellum Tra-  
iectense.  
Peregrinatio  
Comitis.

**D**IDERICVS FRISIÆ populos conculcat, & urbis  
**V**LTRAIECTINÆ Præsulem, & arma capit.  
*Hinc SOLYMORVM emensus iter, regnòque superstes,*

Vithildis  
Ottonis Sa-  
xonis filia,  
Theodorici  
vxor.  
Sedit annis  
quadraginta  
& sex.

**V**ITHILIDIS repetit, magnus honore, lares.  
*Quadraginta annis & sex regnavit, habendus  
Tertius ad nomen, quartus ad imperium.*

COMITVM IIII.



4

*Theodoricus Tertius*



Theodoricus Quartus.

Vixit cælebs  
nouem annis  
in publica  
adminiftra-  
tione.  
Proditio  
Dordraci.

*Ter ternas sedi socia sine coniuge messes,  
Quippe nihil vita calibe maius erat.*

GERMANOS, orbis dominos, pepulisse DORETHO,  
*Est nostrum: cadis quod mihi causa fuit.*

Theodori-  
cus ex infi-  
diis telo in  
femore iectus.

*Namque tibi per victos incautus erro, sagitta  
Saucior, illa neci mixta venena tulit.*

Sepelitur  
Egmundæ.

*Nomine cum proavis, patriq<sub>3</sub> simillimus, atra  
Condor humo, cineri consociatus avum.*



C

Florentius Primus.

Gertrudis  
 Hemi Saxo-  
 nis ducis filia  
 Florentio co-  
 miti nupsit.  
 Episcopus  
 Leodienfis  
 cæsus.  
 Lambertus  
 comes Loua-  
 nienfis ca-  
 ptus.  
 Victus Archi-  
 episcopus  
 Colonienfis  
 cū sociis Flo-  
 rentiū à vi-  
 ctoria fatiga-  
 tum, ac iam  
 dormiēdo se  
 refocillātem  
 sub umbra  
 arboris, inspe-  
 rato reditu  
 obruncat.  
 contigitque  
 hæc clades in  
 vico Hemer-  
 tensi, ad con-  
 fluentiam  
 Mosæ &  
 Valis.  
 Imperavit  
 annis 14.

*Prolis egens, postquam frater germane cadebas,  
 Imperij heredem me facis esse tui.*

SAXONE nata meum conscendit virgo cubile  
 GERTRUDIS, FLORO florida iuncta viro.

PRÆSVL, ut eductis EBVRONIBVS arma ciebat,  
 Ceditur, & capitur GRVDIVS à BATAVIS.

Gentis AGRIPPINÆ, super hac dum sterno phalanges  
 Bis victor, victo casus ab hoste cado.

Bis septena vagi matura volumina solis  
 fura dabam, BATAVVM sextus ab imperio.

COMITVM VI.



C 2

Gertrudis Saxoniae.

*Prima Comes BATAVVM, primum qua sola per annum*

Vidua præ-  
fuit anno  
vno.

*Protendi vidua sceptrâ BATAVA manu:*

*Sed tenera metuens soboli, regnôque, secundas*

*In tedas libuit supposuisse fidem:*

*Qua FRISIUS solij moderetur frena ROBERTVS,*

*Coningis, & pueri qua tueatur opes.*

*Fata tamen properata vivo iunxere priori,*

*Illaque qua cunctos me tegit urna patres.*



7. Gertrudis Saxonię

C 3

Robertus cognomento Friso.

HECTOREI socius decoris, quo CÆSARIS armis  
Nemo mage ob patriam restitit egregius.

Vidua Flo-  
rentij nupsit  
Roberto.

Sedit annis  
octo, tutoris  
vices gerens.

Virtutis pretium thalamos, viduatâque REGE

Sceptra ferens, hiemes plus minus octo rego.

IDALIAM'Q. CYPRVM, SALAMINA'Q. littora victor

Innasi, reducis sub iuga FLANDER ijt.

Robertus  
pulsus Hol-  
landia, sepe-  
litur Cassale.

Coniugium sine labe tori, dulcésque tuebar

Privignos fugiens: CASSALE condor humo.



8 Robertus Cognomento Frisius



Gothiphrædus Lotharingiæ,  
cognomento Gibbus.

GOTHIPHRÆDVS ego, ULTRAIECTI PRÆSVLIS arte,  
*Qui* BATAVVM *pressi colla superba iugo.*  
*Imperij monumenta mei sunt moenia DELPHI,*  
*Et quas tui colui, non procul urbe, domos.*  
*Tanta molis opus confeci quattuor annis,*  
*Nec satis hoc, FRISONVM sapius arma tuli.*  
*Sed freta, vel terras quid vincere profuit, orbis*  
*Prolis, TRAIECTVM cum moribundus eo?*

Gothiphræ-  
dus conditor  
opidi Del-  
phensis, per  
tyrannidem  
quatuor an-  
nis potitus  
comitatu  
Hollandiæ.  
Frisones de-  
vicit.  
Tumulatur  
in Traiecto  
superiore,  
Antuerpiæ  
veruto luf-  
fossus.



9 Gothipredus Lotharige Gibbus

D

Theodoricus Quintus.

Bellum ad-  
uersus Epi-  
scopum Vl-  
traiecten-  
sem.

*Fortuna domitor cum PRÆSVLIS agmina fudit,*

*Et repetit patrios iusta per arma lares:*

*Difficile est, inquit, nisi vi, vi parta tueri:*

*Enomet iniustas, quas male sorpsit, opes.*

Bellum Fri-  
sicum.  
Vithilidis,  
Frederici  
Saxonie du-  
cis filia.  
Septendeci-  
mo anno  
post cadem  
Godefridi  
obit.

*Hic FRISIÆ victor fatales proterit hostes,*

*VITHILIDIS'Q. viro claudit amica latus.*

*Sic tria lustra potens haves, geminumque per annum,*

*Conditur ad patrios DIDERICVS cineres.*

Sepelitur Egmundæ.

Barlandus scribit hunc Comitem præfuisse Hollandiæ annis quinque & viginti; quod verum erit, addito tempore, quo Robertus priuigui sui, necdum maturi gubernaculis, tutor ascitus, Rempub. summa integritate, continentiaq. regebat.



10

Theodoricus Quintus

D 2

Florentius Secundus, cognomento Pinguis.

Florentius  
optimus  
Princeps.

*Vndecimus Comitum FLORVS, qui diuite gaza  
Vicit avos, miti qui pietate patres.*

Petronella  
Lotharij Cæ-  
saris soror,  
auctor cœ-  
nobij Rhe-  
niburgi.

*Cuius & in thalamis generosi sanguinis uxor  
PETRONELLA stetit, CÆSARIS una soror.*

Barlandus  
habet sedisse  
annis trigin-  
ta duobus,  
verum nuf-  
quam inue-  
nio.  
Tumulatur  
Egmondæ.

*Virginibus sacris Rheni uel ab arce quietam  
Qua statuit sedem: nomen & arua dedit.*

*Triginta, iunctis bis senis mensibus, annos  
Sedit: amor BATAVÛM, florida spes VALACHRÛM.*

*Et FRISIÆ populos, damnata pace, rebelles  
Pressit humo: capit hunc, qua tenet urna patrem.*



II Florentius <sup>z</sup>Cognom: Pinguis.

D 3

Theodoricus Sextus.

*Virgo PALATINO de principe nata, iugalem  
DIDERICI lectum sancta subit SOPHIA.*

Frisij bis vno  
die superati.

*Ille die victor FRISONVM bis terga cecidit,  
Maluerant fratres signa, fidemque sequi.*

Obsidio VI-  
traiecti.  
Theodoricus  
imperavit  
annis qua-  
draginta;  
quibus ex-  
pletis, tumu-  
latur Eg-  
mundæ.  
Sophia Ot-  
tonis Palati-  
ni Comitis  
filia, Theo-  
dorici vxor,  
obit in Pa-  
lestina.

*V L T R A I E C T I N I S fixit tentoria fossis,  
Sceptra gerens, decies dum quater annus abit.*

*E G M V N D Æ Q. solo post fata nouissima pressus,  
Plangit I D V M Æ A M, coniugis orbis, humum.*

*Quarite quid signent hac spineaserta, SIONIS  
Qua tulit urbe C O M E S : symbola Regis erant.*



12

Theodoricus Sextus



Florentius Tertius.

Filia Regis  
Scotiæ nu-  
psit Floren-  
tio.

FLORVS ego hanc duxi SCOTORVM è REGIBVS ADAN,

*Fecunda sobole est qua venerata virum.*

Me COMITEM, ac DOMINVM, cedens victricibus armis,

Frisij sub-  
acti.

*Terra potens FRISONVM ferre coacta, tulit.*

Expedio  
in Palesti-  
nos.

Oppida palmiferam frenavi subter IDVMEN,

*Dum SOPHIÆ tumulum per loca sancta peto.*

Septē & vi-  
ginti annis  
præfuit Hol-  
landiæ.  
Mortuus in  
Antiochia.

Térque nouem autumnis BATAVṼM qui regna tuebar,

ANTIOCHṼM terris condor in ade PETRI.



13

*Florentius Tertius*

E

Theodoricus Septimus.

ALEIDIS  
Theodoric  
Cliviæ filia.  
Theodori-  
cus in Frisia  
cum fratre  
suo Guiliel-  
mo fatis a-  
trociter cõ-  
fixit.  
Theodoric⁹  
cũ exercitu  
Brabantiam  
ingressus,  
Busemdu-  
cis vi cœpit:  
postea à Bra-  
bantis ca-  
ptus.  
Tredecim  
annis sedit.

*Pace bonus, belloque potens (cui nupsit ALEIDIS)*

DIDERICVS, FRISONVM, fratris & arma tulit,  
*Vicit victores FLANDROS, GELDRVM'Q. ferocem*

*Exiit imperio, PRÆSVLIS egit equos.*

*Inde BRABANTORVM victor, Ducis arma, NEMVS'Q.*

*Cepit: captorum captus & ipse dolis.*

*Lustra duo coniuncta tribus COMITEM egerat annis,*

*Vir magnus bello, nunc neque bella timet.*



14

Theodoricus Septimus

E 2

Ada Theodorici septimi filia.

ADA sequi proavum vestigia fortè laborans,  
In placida BATAVVM pace tulisset opes:

Ada nupit  
illustri viro  
Comiti  
Loffensi.

Sideris infasti nisi tedis coniuge iuncta,  
Inuisum cunctis imposuisset onus.

Ergone crudeles superos, thalamumque iugalem  
Damnabit moriens, dum celebratur HYMEN?

Sedit anno  
vno.

Quin patrios cineres, praeventam morte puellam,  
Credite disparili survipuisse iugo.



15 *Ada Theodorici Septimi Filia*

E 3

Guilielmus primus Theodorici  
septimi frater.

Guilielmus,  
Harlem-  
fium opera,  
Heliopolim  
(quã vulgò  
Damiatam  
vocât) expu-  
gnauit, hanc  
Pelusium  
nunc esse  
contendunt.

*En GVILIELMVS hic est, serrata puppe per amnem  
Aere catenatum qui violenter ijt.*

Alcidis Ot-  
tonis Gelriæ  
filia, & Ma-  
ria Ethmûdi  
ducis Lanca-  
striæ, Gui-  
lielmi con-  
iuges.

*HARLEMVM, duce quo, gladium per signa, crucémque  
Appingit stellis: fecit ALEIDA virum.*

*Inde CALEDONIIS uxorem ducit ab ANGLIS:  
Hæc sterili; foeto nupserat illa sinu.*

Tumulatus  
Rheniburgi  
in Hollâdia,  
prope Lei-  
dam opidum,

*Post placida RHENI quàm conditur arce, per annos  
Vndeuginti sceptrâ BATAVA tulit.*

*post nouendecim annos exactos in publica administratione.*



16

Guilielmus Primus.



## Florentius Quartus.

Filia Florentij adeò numerosam prole vnico partu enixa est, vt numerum cū diebus anni æquauerit.

Florentius sedit annis duodecim, sepultus Rheniburgi. Claremontēsis Comes Florentium, omnis rei ignarum, ob zelotypiam obruncat. Machteldis cœnobij Loesdunēsis auctor.

Rychardis Florentij soror cœnobiū Cāpi Regij extra portas opidi Delphensis extruxit.

*Me patre nata, suas anni qua facta diebus  
Aequauit soboles, parturuitque gregem.*

*Ast fatum crudele mihi ter quattuor annis  
Amplius inuidit patris abesse rogo.*

*Quémque ferox MAVORS toties hostilibus armis  
Eripuit, turpis Zelotypiæ necat.*

*Vxor MACHTELDIS, socio viduata cubili,  
Vestalem procul haud condit ab arce domum.*

*Cœnobiūmque soror, Campi Regalis in horto,  
RYCHARDIS DELPHI mœnibus obijciet.*

COMITVM XVII.

41



17

Florentius Quartus

F

## Guilielmus Secundus, Romanorum Rex.

<sup>a</sup> Nascitur  
in opido Lei-  
denſi Gui-  
lielmus Rex  
Romanorū.

<sup>b</sup> Duxit Eli-  
ſabethā du-  
cis Brunſui-  
cēſis filiam.

<sup>c</sup> Margari-  
ta Nigra ſu-  
perata.

<sup>d</sup> Guiliel-  
mus conſti-  
tuit conſi-  
liū in Haga  
Comitis, ad  
quod Hol-  
landi, Zelā-  
diſque ſuas  
cauſas defer-  
rent.

<sup>e</sup> Inſtaura-  
tio Carreli  
Harlemēſis,

vbi nunc genuinæ Principum Batauorum icones à Guilielmo Tybauto repertæ.

<sup>f</sup> Præſuit Hollandiæ & Zelandiæ viginti annis: Latio ſeptem.

<sup>g</sup> Guilielmus, Cæſar factus, in Friſia cæditur, nouem & viginti annis in publica adminiſtratione completis (vt ait Barlan-  
dus) quod probari nequit, cū quadriennio ferè ante eam ætatem interierit. Sex tantū annos natus, cū trucidaretur  
pater: ſex & viginti, cū ipſe occidit. Menda igitur eſt in Barlando, vbi Typographus nouem & viginti, pro, nondum  
viginti, poſuit.

<sup>a</sup> LEIDIS *orte*, COMES BATAVVM, ROMANA *gubernas*  
*Sceptra potens*, <sup>b</sup> *coniunx dum parit* ELISABETH.

<sup>c</sup> *Margarita tuis animum ſubmiſerat armis:*

<sup>d</sup> *Structa paludatis curia ſtabat Hagis.*

<sup>e</sup> *Te dominante Dea Carmeli conditur ades*  
*Harlemi, Heroum qua feret effigies.*

<sup>f</sup> HOLLANDÆ *telluris opes quo in pace tueris,*  
*Bis denus; LATIÆ ſeptimus annus erat.*

<sup>g</sup> *Hinc fera bella vocant: FRISIAE tu victor in agris*  
*Cæſus, ab inſleto corpore CAESAR abis.*



18 Guilielmus Romanorū Rex.

F 2

## Florentius Quintus.

a Frisij bello  
petiti.

b Florentius  
Comes, se-  
nis cuiusdã  
indicio, in-  
uentum pa-  
tris corpus  
Middelbur-  
gum in Ze-  
landiam de-  
portari cu-  
rat, ubi & se-  
pelit magni-  
ficentissimè  
in Præmon-  
stratensium  
fratrum cœ-  
nobio.

c Beatrix  
Guidonis  
Dampetri  
Comitis  
Flãdriæ filia  
datur Florẽ-  
tio, hĩsque  
nuptiis pax  
contracta.

*Vlturus patrios manes, gentisque tumultus,*

*Submittis FRISONVM castra, virósque ingo.*

*Hic patris inuentum (senis arte, operaque) cadauer*

*METELLOBURGVM mittis ad exequias.*

*Quid FLANDROS arcere paras? en FLORE ingalem*

*Arma<sup>c</sup> BEATRICEM, non tibi bella ferunt.*

*Hæres SCOTORVM regni diadema sub hastas:*

*<sup>d</sup>Venatum ueheris, præda sed ipse eras.*

*Te<sup>e</sup> VELSENS enim bis deno vulnere (factum*

*Ob fucum uxori) percutit, & perimit.*

*<sup>f</sup>Te fidi flere canes: HYPERIONA circli*

*Quadragenta unum, cum tumularis, agunt.*

d Florentius venationi admodum deditus, intèrque venandum plus viginti vulnibus confossus.

e Primo & quadragesimo gubernationis anno trucidatus, sepelitur Rheniburgi.

f Mirum quod de canibus venaticis hĩc tradunt annales, qui, dum caperetur herus, testes aderant, captum comitabantur in arcem Mudam. Auectum inde, atque in fuga à proditoribus, seu coniuratis trucidatum, mæsti custodiebant. Demum amicis corpus vngentibus, vt Alcmariam deferrent, in eandem nauem conscendebant, ab omni cibo & potu mordicus alieni, funus in templum elatum proni venerabantur, ibique assiduo desiderio sui domini (donec vi abstraherentur) ægrè vitam sustinebant.



19

*Florentius Quintus.*

F 3

Ioannes Hollandiæ.

IANE, CALEDONIIS *uxor deducta* BRITANNIS

ELISABETH, *nullo pignore mater erit.*

Consilij procerem, DELPHI *per tassa iuventus,*

*Audebit celsa precipitare domo.*

Tu patrios cineres, RHENI *super arce repostos,*

*Ingrediens, quarta messe subibis humum.*

Ante licet bellis, per multa pericula magnus,

Et FRISONVM *spolis victor onustus eris.*

Primus, cui nullus regno *subscribitur haeres,*

*Auratique equitis nomine solus eges.*

Elisabeth  
Eduvardi  
regis Anglię  
filia.  
Volpherus,  
Dominus  
Veranus, per  
fenestram è  
curia eiecit,  
à seditiosa  
plebe discer-  
pirur.  
Sepultus  
Rheniburgi  
quarto im-  
perij anno.  
Ioannes bis  
rebellantes  
Frisones ma-  
gnis affecit  
cladibus.



20

Joannes Hollandia



## Ioannes Hannoniæ.

Ioanne primo absque successore defuncto, Comitatus Hollandiæ, & Zelandiæ ad Ioannem Hannoniæ (ex sorore Guilielmi secundi Romanorū Regis procreato) deuoluitur: qui sepe litur Valencænis, quinto suæ dominationis anno.

Philippa Comitris Lutzenburgensis.

Tres Comitris filij obsesæ Sirizæ suppetias ferunt.

*Lustrum* I ANE COMES BATAVO dum condis, in vrbe

VALENCÆNARVM conderis orbis humo.

*Pulchra* PHILIPPA tūro tres (belli fulmina) proles

*Sustulit*, hostiles quas timuere manus.

*His ducibus fretus contemnis* CÆSARIS arma,

*Atque* BRABANTORVM colla proterua domas.

*Hique* SIRIZÆAM tribus obsidionibus urbem

*Soluerunt*: facti dux GVILIELMVS erat.

*Elatos animis* FLANDROS, regione BATAVA

*Palantes*, tota cum legione necas.

Guido Dampetrus cum sociis Sirizæam obsederat, incredibili classe instructus, verum tanta strage soluta obsidio est, vt victi, inermes penitus, ac nudi, ægrè domum cum ignominia peruenerint, qui à tanta clade (fatigatis magis, & defessis trucidando victoribus, quàm alio casu commotis, aut elusis) reliqui erant.

Flandrorum tota Hollandia cædes.



21

*Ioannes Hannonia*

G

Guilielmus tertius Hannoniæ,  
cognomento Bonus.

Guilielmus  
Valencænis  
tumularur,  
post trigesi-  
mum secun-  
dum guber-  
nationis an-  
num.  
Ioanna Ca-  
roli Valefij.

*Post quater octonos PHOEBI GVILIELME labores  
In patrij cineris concipere loco.*

*IANNA VALESA tibi claro de stemmate nubit,  
Redderis Heroum qua genitrice pater.*

*Mille equites, centúmque duces, comitúmque senatum,  
Octo triumphales cogis inire dies.*

Guilielmus  
cum rege  
Franciæ ad-  
uersus Flan-  
dros & Bel-  
locassios di-  
micans, dum  
pernici equo  
hostium ca-  
stra perrum-  
pit, deturbatur, sed filij sui virtute & fortitudine restitutus, victoria potitur.

*Agmina PLEV MOSIṼM, vel equo reuolutus agebas,  
Scandis item ac superas agmina PLEV MOSIṼM.*

*Sumis & iniusto iustas de indice pœnas,  
Supposuit sterilem qui meliore bonem.*

In Prætozem Meridionalis Hollandiæ animaduersio, seu Baliuum, qui vaccam abduxerat alienam.



22 Guillelmus 3<sup>us</sup> Hanoniæ Cogn. Bonæ

G 2

Guilielmus quartus Hannoniæ.

Expedi-  
tio in  
Saracenos.

*Signa per extremos NUMIDARVM ducere fines  
Qui potui victor, sum GVILIELMVS ego.*

Ioanna, Ioã-  
nis tertij  
Brabantie  
ducis filia.

*IANNA, BRABANTORVM IANI ducis inclyta proles,  
Heu sterili mecum stat sociata toro.*

Traiectes  
oppugnauit,  
quibus ve-  
nia data sup-  
plicibus, i-  
deoq. annua  
festa in pacis  
memoriam  
instituerunt,  
quæ hodie  
Magdalena  
amburbia  
vocantur.

*V L T R A I E C T I N A M victricia signa per urbem,  
Et BATAVVM statui clara trophæa manu.*

*Annua adhuc celebrant amburbia MAGDALA ciues,  
Supplicibus pax est, quo BATAVA ic̃ta die.*

*Tertius inde COMES, FRISIIS occisus in aruis,  
BOLSVARDI nona messe subintro solum.*

Guilielmus

in Frisia periit, nono publicæ administrationis anno, sepultus primùm in cœnobio Floricampi, prope Bolsuart, vulgò *Oudenclooster*, postea translatus Valencanas. Huius caput post cædem abiectum, eò quòd hostium ducem propria manu interemisset.



23

Guilielmus<sup>4s</sup> Hanoniae.

G 3

Margarita Ludouici Cæsaris vxor,  
Guilielmi IIII. soror.

Guiljelmo  
quarto absq.  
liberis defun-  
cto, princi-  
patu Hol-  
landiæ &  
Zelandiæ  
Margaritæ  
forori suæ  
cedit, quæ  
cum Ludo-  
uico Cæsari  
nupta erat,  
Comitatum  
ad stirpem  
Bauarorum  
deferebat.

Defuit præ-  
esse Hollan-  
diæ quinto  
anno.  
Sepulta Va-  
lencænis.

*Te reëtrice, nefas magnum, REGINA, BATAVVM  
Inuadit terras, dum LVDOVICVS obit.*

*Cum gnato quid bella geris, titulósque reposcis?*

*HOLLANDÆ, & VALACHRÆ nomina vendideras.*

*Conscia civilis pugna, dotalia regna,*

*Quásque foris poteras vincere, perdis opes.*

*Sed breue ius sceptri, vidit quod olympias una:*

*HOEXIA pars varia distrahet inde vice.*

Margarita clauum tenente, Hollandia intestinis seditionibus agitari cœpit, vnde paulò post in exitiales factiones scinditur diuiditurque. Harum altera quæ ab Hamo ( Vernacula lingua *Hoer* dicto) denominationem sumebat, Imperatricis suæ partes sequebatur. Altera, accito duce Bauariæ Guiljelmo, huius Margaritæ filio, Comite de Oostervan, vicus multos, castella, domos. possessiones, ac prædia innumera contrariarum partium igne absumebat. Postea arces Polanen, & Binchorsti, eò quòd earum domini Hoexiis patrocinebantur, euertebat. Metaphora nominum hinc sumpta videtur, quòd sicuti piscis *Asellus* pisciculos ceteros deglutiatur, nihilo minus etiam hamo capiatur: sic à parte altera, alterius exitium imminere, reciproca corruptione contendebant. Pars enim aduersa ab *Asello* pisce ( vulgari idiomate atque Hollandica voce *Cabelaeus* significante) nomen scribebat.



24 Margarita. Imperatrix.



Guilielmus Bauariæ Quintus.

*Cæsare prognatus, genitricem Marte cruento*

*Excipit: en matri quàm genuisse nocet!*

*Connubio felice tamen GVILIELMVS amata*

*MACHTELIDIS potitur, dum ratione viget.*

*Filius huic fato nullus, rapiturque phrenesi:*

*Dux CABELAVSIACÆ seditionis erat.*

*Autumnis septem rexit, dein carcere vincetus,*

*Vnde nigeno vere ligatus obit.*

*Qui prius hostiles TRAIECTI inuaserat agros,*

*Nunc VALENCÆNIS matris in itumulum.*

Machtelidis  
Henrici du-  
cis Lancastræ  
filia, Gui-  
lielmi vxor.

Guilielmi  
morbus, post  
septimū gu-  
bernationis  
annum.

Cabelauso-  
rum factio à  
pisce dicta,  
cui Guiliel-  
mus præerat.

Guilielmus  
in custodia  
moritur, ef-  
ferturq. Va-  
lencænis.



25 *Guilielmus Bauarig Quintus*

H

Adelbertus Bauariæ, Guilielmi  
quinti frater.

Margarita,  
ducis Brygæ  
in Polonia.

MARGARITA, BRYGÆ *de principe nata* POLONO,  
ALBERTI *in thalamos prima vocata fuit.*

Margarita,  
Adolphi du-  
cis Cluiæ.

CLIVIA *succeßit vel eodem nomine coniunx,*  
Coenobium, *atque urnam qua sibi struxit* HAGIS.

Eduxit in  
Frisios.  
Sex & qua-  
draginta an-  
nis fedit.

Ille *per infidam* FRISIAM *feliciter arma*  
Raptans, *deuicto sæpius hoste redit.*

Auxit sacer-  
dotiis facel-  
lum aulæ, in  
HagaComi-  
tis, vbi pòst  
sepultus.

Lustra nouem, *seditque annum, donisque sacellum*  
*fure sacerdoti quo duce creuit* HAGIS.

Delphenses  
obfessi, co-  
rumq. muri  
diruti.

GOTHIPHRÆDV M *domuit sua mœnia* DELPHVM,  
*Aulæ sacra nunc tumultatus humo.*



26 Adalbertus Bavariae

H 2

## Guilielmus Bauariæ sextus.

<sup>a</sup>Guilielmus  
superavit  
Leodienses.

<sup>b</sup>Bis eduxit  
in Gelros.

<sup>c</sup>Guilielmus  
patrij exer-  
citus præfe-  
ctus, necem  
abauunculi  
Guilielmi  
Quarti vin-  
dicaturus, cū  
patre in Fri-  
siam traiecit,  
indeq. effo-  
sum corpus  
Valencænas  
deportauit.  
Præcipua hæc  
victoria per  
Delphenes  
acquisita,  
ideoque iis  
Privilegia  
ciuica resti-  
ta, mœniaq.  
restaurata.

<sup>a</sup>*Victor ab infestis EBVRONIBVS abstulit arma,*

<sup>b</sup>*Sensit ut ultricem GELRIA pressa manum.*

*Conseruit duris FRISIÆ cum gentibus arma*

*(<sup>c</sup> Nempe abauunculus his poscitur inferis.)*

*Vicit, & ereptum DELPHORVM robore corpus,*

*in VALENCÆNIS, patre iubente, locat.*

<sup>d</sup>*LILIGERI soboles primo sociata cubili,*

*Prole carens, subita morte reliquit opes.*

<sup>e</sup>*ALTERA BVRGVNDI claro de stemmate coniunx,*

*Est semel ex thalami pignore facta parens.*

<sup>f</sup>*Sic tredecim autumnis BATAVVM moderatus habenas,*

*Proxima cum patruo busta subibat humi.*

<sup>d</sup> Maria, Caroli Septimi, Regis Franciæ.

<sup>e</sup> Margarita, Philippi Burgundiæ.

<sup>f</sup> Tredecim annis præfuit elatus Valencænis.

COMITVM XXVII. 61



27 *Guilielmus Bauaricae Sextus.*

H 3

## Ioannes Bauariæ, Guilielmi sexti frater.

*Vis tua, vel tua fraus, seu gens infida DORETHI,  
Illicitas neptis sollicitavit opes.*

Cabelauforū  
opera Ioan-  
nes vsus ad  
occupandam  
tyrānidem.

*Cum CABELAVSIACÆ subuecto robore partis,  
Pupilla & vidua dos tibi præda fuit.*

*Scilicet, iniustis titulis noua iura petuntur.*

*An'ne LEODINVS sufficiebat honos?*

Elisabeth  
Lucenbur-  
genfis An-  
tonij Ducis  
Brabantiae  
vidua, Ioan-  
ni nupfit.

*ELISABETHÆIS exarsit ab ignibus HEROS,*

*Et sacra missa facit, nempe profanus erat.*

*Regnandi eogebat amor, vel auara libido,*

*Quæ BATAVŪM dites inficiebat aquas.*

Sepultus Ha-  
gis, sex annis  
vsurpato a-  
lieno titulo.

*Sed non lata diu fuit FORTVNA TYRANNO,*

*Vere senem sexto qua sepeliuit HAGIS.*

Mortuo Guilielmo, Iacoba Bauariæ vnica sui patris hæres, omnibus eius ditionibus inauguratur. Cuius tutelam Ioanne Bauariæ, Guilielmi frater sibi vendicat, sperans hac via fenestram ad tyrannidem aperiri posse. Quare abdicatis atque summo Pontifici relatis Leodiensis Episcopatus insignibus (quibus gerendis septem & viginti annis Electus fuerat) libertatem contrahendi matrimonij, non obstantibus affinitatis & subdiaconatus gradibus à sede Apostolica impetrat, tum Principatus Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ cum Dominio Frisiæ peruerso titulo à Cæsare extorquet. reclamantibusque & repitentibus prouinciis, altero anno post sui fratris mortem, Dordraci & Brielis ad Mosæ estium contra datam Iacobæ idem excipitur, inauguraturque. Tantum negotij & damni ex his duabus urbibus, assiduis cædibus, incendiis, prædationibus, & piraticis direptionibus, legitimæ Comiti faceffens, vt his necessitatibus rebus inter se compositis, non solum prædictas vrbes cum aliis Dominiis in feudum ab ea receperit, sed & reliquarum partium Hollandiæ & Zelandiæ Vicecomes factus, triennio toto, imperium partim suo, partim Iacobæ nomine ex æquo permisit sic administrare. quo gradu iam confirmata tyrannide (eò quòd ipsa diuersis connubiis distrahebatur) in posterum donec moritur, principatui finitè satis intentus, interruptaque & quasi abolita suæ neptis auctoritate eius titulos vsurpauit.



28 Dñs Johannes Bauariq.



## Iacoba Bauariæ.

<sup>a</sup> Gorcomiū, Hollandiæ opidum à Guilielmo Arelenſi occupatū, duce Valrauiō Brederodo, factionis Iacobæ præfecto, expugnatum.

<sup>b</sup> Prope Brouverſhauen, tria Anglorum millia caſa, quæ Dux Cloceſtriæ, ad ferendas ſuppeticas Iacobæ, cū inſtructa claſſe miſerat.

<sup>c</sup> Iacoba Comitatum Hollandiæ Philippo, Burgundiæ Duci, ma-

terteræ ſuæ filio, pro libertate quarti mariti, ab eo capti, tradit, poſtquam vno, à patris ſui morte, & nouem annis, po Ioannis Bauariæ patruſi ſui tyrannidem, per varios calus interrupto imperio, Hollandiæ & Zelandiæ præſuiſſet.

<sup>d</sup> Sepulta in Haga Comitſis.

*Infelix mulier, quartò variata cubile,*

*Bis dicor thalami deſtituiſſe fidem.*

<sup>a</sup> *GORCOMI cinxi numeroſo milite portas,*

*Nec fruſtrà: victrix corbe potita fui.*

*Partibus oppoſui vires: <sup>b</sup> ter mille BRITANNI*

*Me propter gelidæ ſuccubere neci.*

*Me cōtra, hinc Patruus tulit, hinc Bonus arma PHILIPPVS:*

*In' que vicem timui vincula, bella, minas.*

<sup>c</sup> *Ergo reſignabam dotalia ſceptra PHILIPPO,*

*Si non ſponte, libens: cauſa maritus erat.*

*Mortua iungor auro, tantum duo luſtra regebam,*

*Nunquam victa malis, <sup>d</sup> mortua iungor auro.*



29

*Jacoba Bauaria.*

I

Philippus Burgundiæ, cogno-  
mento Bonus.

<sup>a</sup> Caletum  
obsessum.  
<sup>b</sup> Burgundiæ  
Dux primus  
sanxit Co-  
mitia velle-  
ris aurei.  
<sup>c</sup> David &  
Philippus  
eius frater,  
Philippi  
Burgundiæ  
filius, Episco-  
pi Ultraie-  
ctenses.  
<sup>d</sup> Lucēbur-  
gum expu-  
gnavit, Leo-  
dieneses sup-  
pressit, ex-  
pugnata e-  
uerſaq. vrbe  
Dinanti, fa-  
ctionesque  
composuit  
Hollando-  
rum.  
<sup>e</sup> Sepultus  
Digione in  
Burgundia,  
post 34. gu-  
bernationis  
annum.

*Prima PHILIPPE subit sponsalia virgo MICHAEL,*

*Hinc BONA iuncta toro, post ISABELLA fuit.*

*Fœdera cum GALLO, veteris dux immemor iræ,*

*Icis: cum GANDA, BRUGA rebellis erat.*

<sup>a</sup> *Ante CALETORVM stabant tentoria portuum,*

*frvta cum retrò signa referre iubes.*

<sup>b</sup> *Velleris aurati scribis statuſque sodales:*

<sup>c</sup> *TRAIECTENSE pedum gnatus uterque geret.*

<sup>d</sup> *Hinc LVCENBURGIS, EBVRONIBVS inde subactis,*

*HAMATA occumbit factio tota domi.*

*Triginta quatuor BATAVVM in regione per annos*

<sup>e</sup> *Regnas: defuncto stat DIGIONE rogas.*

COMITVM XXX.

67



30 Philippus Burgund. Cogn. Bonus.

I 2

Carolus Bellicosus.

CAROLVS inuidia profugus, discedere terris  
Cogor, & offensi linquere tecta patris.

Tres mihi connubij succedunt iure puella,

Vnam ANGLVS, geminas GALLIA pulchra tulit.

Ius Parlamenti, duce me, MECHLINIA cœsit:

Vrbem EBVRONVM, & opes depopulatus eram.

Adieci imperio GELROS, socerumque BRITANNVM

Restitui: decimus, laurus & annus erat.

Felix TVLLINGÆ victor ditionis haberer,

Si poteram HELVETIIS abstinuisse manum.

Sic neque sub dira NANCEÆ mœnia casus,

Hostili moriens intumularer humo.

Carolus in-  
stituere Par-  
lamenti Cur-  
riam Mech-  
liniæ cona-  
tus est.  
Leodium  
expugnauit  
& euerit.

Decimus  
annus fuit  
vltimus im-  
perij.  
Tullingos  
vocat Lotha-  
ringos, quos  
Carolus de-  
bellauit.

Carolus a-  
pud Nanciũ  
tribus vulne-  
ribus cõfol-  
tus, periit.



31. Carolus Burgundiae.

Maria Charlesia Maximiliani  
Austrij Coniunx.

*Maximus amplexu MARIE ÆMILIANVS amata,  
Dotali BATAVVM possidet arua bono.*

*Semisopita diu capit utraque factio vires,*

*Qua patria & culta diripiuntur opes.*

*Ista supinanti (sequitur dum cursibus apros,*

*Venaturue feram) lapsa necatur equo.*

*Fecerat hanc terno partu LUCINA parentem:*

*BRUGA dedit tumulum: sedit olympiade.*

Repullular  
huius tem-  
poribus exi-  
tialis factio  
Hamatorū  
& Cabelau-  
fiacorum à  
Philippo  
Bono pænè  
extincta.

Sepulta Bru-  
gis quinto  
administra-  
tionis anno.



32

Maria Charlesia



Maximilianus Austrius.

*Non ego sum terra BATAVŪM legitimus hæres,  
Tutoris pueri functus honore tamen.*

Præfuit tu-  
toris loco  
duodecim  
annis.

*Scilicet autumnos bis sex moderator agebam,  
Dum tua crescendo nate iuventa venit.*

Maria Char-  
lesia, & Ma-  
ria Blanchia,  
Maximilia-  
ni coniuges.  
Maximilia-  
nus obiit an-  
no humanæ  
salutis 1519.  
sepultus in  
opido Neu-  
stat in Au-  
stria.

*Tunc ego ROMANI contentus munere sceptri,  
Abdico quæ BATAVŪM iura PHILIPPVS inii.  
Urbe NEOSTADI, gemino felix HYMENÆO,  
Materno CÆSAR concipior tumulto.*



33 Maximilianus Austriae

K

Philippus Austrius secundus.

*Exieram nondum (prohibebat tempus) ephebis,*

*Heredem dotis cum facit esse parens.*

*Junxit ARAGONIO thalamus de stemmate natam*

*IANAM, qua sexta prole vocata parens.*

*Quippe duos Reges, reginas quattuor, almo*

*Ventre tulit, quorum CÆSAR & unus erat.*

*Ter quatuor rexi BATAVOS, VALACROSQ. per anno*

*Præterea HESPERIÆ Rex generosus eram.*

*Sed breue fatales regnum invidere puella,*

*Bustaque BURGORVM non procul urbe fero.*

Ioanna, filia  
Ferdinandi  
regis Hispaniæ,  
nupsit  
Philippo.

Præfuit an-  
nis duode-  
cim.  
Philippi in  
Hispania  
obitus.  
Tumulatus  
Granaræ,  
prope Bur-  
gos.

COMITVM XXXIII.

75



34

Philippus <sup>3<sup>us</sup></sup> Austriae

K 2

Inuictiss. Carolus v. Austrius Augustus.

*Horrida deniclis tremuit GERMANIA signis,  
GALLIA, TURCA, ANGLVS, cecit & unctus A FER.  
HERCVLEAS ultra fixi mea signa columnas:  
Incluta quem nostri nominis acta latent?*

Isabella, E-  
manuelis  
regis Portu-  
galliae filia,  
Caroli vxor.

*LVSITANA (tori pignus) mihi filia REGEM  
Edidit, HESPERIÆ qui modo sceptrum gerit.*

Anno 1549.  
rora Belgia  
inauguratur  
Philippus,  
Caroli filius.

*Lustris octo COMES BATAVVM trieteride iuncta,  
Augurio fieres quando PHILIPPE fuis.*

Itaque qua-  
draginta tri-  
bus annis  
Hollandiae  
Comes fuit

*BÆTICA me sepelit, vastum mea fama per orbem  
AETernum vivit: GRANATA corpus habet.*

Carolus: licet anno 1555. Philippo filio Belgiae administrationem denuo ac penitus tradiderit, redintegrato confir-  
matoque eodem inaugurationis sacramento.

Obiit Carolus anno humanæ salutis 1558. Sepultus Granatæ.



35. D. Carolus Quintus Augustus.

K 3

D. Philippus Rex Catholicus.

*Hæc ego ( continua veniens de stirpe ) PHILIPPVS  
Sceptra gero, innumeris tradita nuper avis.*

*Me quater in thalami sociatum iura CVPIDO  
Nexuit, & tedas quarta subiuit amans.*

*LVSITANA prior, fuit altera nata BRITANNI,  
Tertia LILIGERI, CÆSARIS ulterior.*

*Auspice me, SOMONÆ ceciderunt mœnia patris,  
TVRCORVMQ. phalanx funditus asta ruit.*

Philippus  
tetrage-  
mus.  
Intelligit vr-  
bē D. Quin-  
tini, ad So-  
monam sitā,  
eademque  
memorabilē  
Turcorum  
ex pugna  
nauali.



36. D. Philippus Rex Catholicus



## 80 PRINCIPVM HOLLANDIAE ET ZELANDIAE

<i>Obitus.</i> <i>A° Dñi</i>	<i>Anni</i> <i>imperij.</i>	<i>Nomina.</i>	<i>Coniuges.</i>	<i>Sepulchra.</i>
903. Pridie Nonas Octob.	40.	Didericus <i>Aquitania.</i>	Gena, <i>Puppini minoris, regis Italiae.</i>	<i>Egmunda.</i>
988. Pridie Nonas Maij.	85.	Didericus <i>secundus Hollandiae.</i>	Hyla, <i>Ludouici Regis Franciae.</i>	<i>Egmunda.</i>
993. 16. Calend. Octob.	5.	Arnoldus <i>Holland. primus.</i>	Lutcharis, <i>Theophanis Imperat. Byzantiae.</i>	<i>Egmunda.</i>
1039.	46.	Theodoricus <i>Tertius.</i>	Withildis, <i>Otonis Saxon. 2. eius nominis Imperat.</i>	<i>Egmunda.</i>
1048. Ipsis Idibus Maij.	9.	Theodoricus <i>Quartus.</i>	Cælibem <i>duxit vitam.</i>	<i>Egmunda.</i>
1062.	14.	Florentius <i>Primus.</i>	Gertrudis, <i>Heimi ducis X. Saxonie.</i>	<i>Egmunda.</i>
1063. Nupit Roberto.	1. <i>Vidua.</i>	Gertrudis <i>Saxonie.</i>	Florentius <i>primus, &amp; Robertus, cognomento Friso.</i>	<i>Egmunda.</i>
Pulsus ditio- ne anno 1071.	8.	Robertus <i>Friso.</i>	Gertrudis, <i>Heimi X.</i>	<i>Cassale.</i>
1075. Quinto Cal. Martij.	4.	Gothiphædus, <i>cognomento Gibbus.</i>		<i>In Traiecto superiori.</i>
1092. 15. Calend. Septemb.	17.	Theodoricus <i>Quintus.</i>	Withildis, <i>Frederici Saxonie Ducis.</i>	<i>Egmunda.</i>
1123. Pridie Nonas Mart.	31.	Florentius <i>Secundus, cognomento Pinguis.</i>	Petronella, <i>Theodori- ci Saxonie.</i>	<i>Egmunda.</i>
1163. Ipsis Nonis Augusti.	40.	Theodoricus <i>Sextus.</i>	Sophia, <i>Otonis Palatini.</i>	<i>Egmunda.</i>
1190.	27.	Florentius <i>Tertius.</i>	Ada, <i>Henrici Regis Scotorum.</i>	<i>Antiochia.</i>

## PRINCIPVM HOLLANDIAE ET ZELANDIAE 81

<i>Obitus.</i> <i>A<sup>o</sup> Dñi</i>	<i>Anni</i> <i>imperij.</i>	<i>Nomina.</i>	<i>Coniuges.</i>	<i>Sepulchra.</i>
1203.	13.	Theodoricus <i>Septimus.</i>	Aleydis, <i>Theodorici</i> <i>Cliniae.</i>	<i>Egmunda.</i>
1204.	1.	Ada.	Ludouicus, <i>Comes</i> <i>Loffensis.</i>	<i>Metelloburgi.</i>
1223.	19.	Guilielmus <i>pri-</i> <i>mus, Theodor.</i> <i>septimi frater.</i>	Aleydis, <i>Ottonis Gel-</i> <i>riae: &amp;</i> Maria, <i>Ethmundi</i> <i>Ducis Lancastrae.</i>	<i>Rheniburgi.</i>
1235.	12.	Florentius <i>Quartus.</i>	Machteldis, <i>Henrici</i> <i>Ducis Brabantiae.</i>	<i>Rheniburgi.</i>
1255. <i>Quinto Cal.</i> <i>Februarij.</i>	20.	Guilielmus <i>se-</i> <i>cundus, Roma-</i> <i>norum Rex.</i>	Elifabeth, <i>Ducis</i> <i>Brunsvicensis.</i>	<i>Middelburgi.</i>
1296. <i>5. Calend.</i> <i>Iulij.</i>	41.	Florentius <i>Quintus.</i>	Beatrix, <i>Guidonis</i> <i>Dampetri Com.</i> <i>Fland.</i>	<i>Rheniburgi.</i>
1300. <i>4. Calend.</i> <i>Nouemb.</i>	4.	Ioannes <i>Pri-</i> <i>mus Hollan-</i> <i>diae.</i>	Elifabeth, <i>Eduuardi</i> <i>primi, regis Angliae.</i>	<i>Rheniburgi.</i>
1305. <i>Secundo Idus</i> <i>Septemb.</i>	5.	Ioannes <i>Han-</i> <i>noniae, Gui-</i> <i>lielmi Roma-</i> <i>norū Regis ex</i> <i>sorore nepos.</i>	Philippa, <i>Comitis</i> <i>Lutzenburgi.</i>	<i>Valencenis.</i>
1337. <i>Septimo Idus</i> <i>Iunij.</i>	32.	Guilielmus <i>ter-</i> <i>tius Hannoniae,</i> <i>cognomento</i> <i>Bonus.</i>	Ioanna, <i>Caroli Vale-</i> <i>sii Comitis.</i>	<i>Valencenis.</i>
1346. <i>Octavo Cal.</i> <i>Octobr.</i>	9.	Guilielmus <i>quartus Han-</i> <i>noniae.</i>	Ioanna, <i>Ioannis Bras-</i> <i>bantiae.</i>	<i>In caenobio Flo-</i> <i>ri-campi, dicto</i> <i>Oudenclooster:</i> <i>inde Valencenis.</i>

L

Desit

<i>Obitus.</i>	<i>Anni</i>	<i>Nomina.</i>	<i>Coniuges.</i>	<i>Sepulchra.</i>
<i>A<sup>o</sup> Dñi</i> Defuit præfesse Holladij anno 1351.	<i>imperij.</i> 5.	Margarita, soror Guilielmi IIII.	Ludouicus <i>Cæsar.</i>	<i>Valencenis.</i>
Ob phrenesim in custodiam datus anno 1358.	7.	Guilielmus v. <i>Bauariæ.</i>	Machteldis, Henrici <i>Ducis Lancastræ.</i>	<i>Valencenis.</i>
1404. Octavo Cal. Februar.	46.	Albertus <i>Baua-</i> <i>riæ, Guilielmi</i> <i>quinti frater.</i>	Margarita, <i>Ducis</i> <i>Brygæ in Polonia,</i> & Margarita, <i>Adolphi</i> <i>Ducis Cluivæ.</i>	<i>Hagis.</i>
1417. Pridie Cal. Iun.	13.	Guilielmus <i>Bauariæ sextus.</i>	Maria, <i>Caroli septimi</i> <i>Regis Franciæ,</i> & Margaris, <i>Philippi</i> <i>Burgundiæ.</i>	<i>Valencenis.</i>
1424. Postrid. Non. Ianuar.	6.	Ioannes <i>Baua-</i> <i>riæ Electus Leo-</i> <i>diensis.</i>	Elisabeth <i>Lucenbur-</i> <i>gensis, Antonij Bra-</i> <i>bantiæ Ducis vidua.</i>	<i>Hagis.</i>
<i>Resigna-</i> <i>uit anno</i> 1433.	10.	Iacoba <i>Baua-</i> <i>riæ.</i>	1. Ioannes, <i>Delphinus</i> <i>Franciæ.</i> 2. Ioannes IIII. <i>Dux</i> <i>Brabantia, conditor</i> <i>Academiæ Louanien-</i> <i>sis.</i> 3. Hunfredus, <i>Dux</i> <i>Clocestriæ.</i> 4. Franco à Borze- <i>len, Comes ab Oo-</i> <i>sterwan.</i>	<i>Hagis.</i>
1467. 17. Calend. Iulij.	34.	Philippus <i>Bur-</i> <i>gundiæ, cogno-</i> <i>mento Bonus.</i>	1. Michaëlia, <i>Caroli</i> <i>v I. Galliæ Regis.</i> 2. Bona, <i>Roberti Atre-</i> <i>batis, quam annales nostri</i> <i>vocant Laudam, Comitæ</i> <i>Heu filiam.</i> 3. Isabella, <i>Ioannis</i> <i>Regis Portugalliæ.</i>	<i>Diuione, in</i> <i>Burgundia.</i>

Notandum quòd  
anno altero post  
fratris mortē, s.  
1418. Iacoba ne-  
ptis suæ iam in-  
auguratæ, legitimā  
hæreditatem aper-  
tè primū tentauit.

Postquam vno à  
patris morte, i.  
ante Ioānis Baua-  
riæ, patris sui ty-  
rannidem, & no-  
uem annis postea  
Hollandiæ & Ze-  
landiæ, interrupta  
authoritate, prz-  
fuit.

## PRINCIPVM HOLLANDIAE ET ZELANDIAE 83

<i>Obitus.</i>	<i>Anni</i>	<i>Nomina.</i>	<i>Coniuges.</i>	<i>Sepulchra.</i>
<i>A Dñi</i> 1477. Ipsis Nonis Ianuar.	<i>imperij.</i> 10.	Carolus <i>Belli-</i> <i>cosus.</i>	1. Catharina, <i>Caroli</i> <i>septimi Regis Gal-</i> <i>liae.</i> 2. Isabella, <i>Caroli</i> <i>Ducis Borbonij.</i> 3. Margarita, <i>Richar-</i> <i>di Ducis Eboraci.</i>	<i>Nancij.</i>
1482. Sexto Cal. Aprilis.	5.	Maria <i>Charle-</i> <i>sia.</i>	Maximilianus <i>Au-</i> <i>strius, Frederici ter-</i> <i>tij Imperatoris fil.</i>	<i>Brugis.</i>
<i>Resignavit</i> <i>Philippo fi-</i> <i>lio anno</i> 1494.	12.	Maximilianus <i>Austrius.</i>	Maria <i>Charlesia, &amp;</i> <i>Maria Blanchia, Du-</i> <i>cis Mediolani filia.</i>	<i>Neostadi, in</i> <i>Austria.</i>
1506.	12.	Philippus <i>Au-</i> <i>strius.</i>	Ioanna <i>Ferdinandi</i> <i>Regis Hispaniae.</i>	<i>Granata, pro-</i> <i>pe Burgos.</i>
<i>Tradidit</i> <i>Philippo,</i> <i>qui inaugu-</i> <i>ratur anno</i> 1549.	43.	Carolus <i>Au-</i> <i>strius impera-</i> <i>tor.</i>	Isabella, <i>Emanuelis</i> <i>Regis Portugal.</i>	<i>Granata.</i>
		Philippus <i>Ca-</i> <i>tholicus.</i>	1. Maria, <i>Ioannis</i> <i>Regis Portugal.</i> 2. Maria <i>Angliae Re-</i> <i>gina, Henrici 8.</i> 3. Isabella, <i>Henrici</i> <i>2. Regis Galliae.</i> 4. Anna, <i>Maximilia-</i> <i>ni Imperatoris.</i>	

## A P O S T R O P H E

A D P R I N C I P E S

H O L L A N D I A E.

**M**agnanimi Heroës, ego tyrocinia miles  
 Auspiciis vestris edita pono libens.  
 Hac patria, Ducibusque damus, Ciuilia donec  
 Bella strepunt: canimus ciuica bella tamen.  
 Otia sed desunt, quæ si sublata Maroni,  
 Nesciret siluas Roma virumque suum.  
 Iugera perdiderat vates, orditur ab agris;  
 Nos patriam; patria damna recenset amor.  
 Sed Batavis meliora Deus: Regionibus istis  
 Vrbes quas regitis frondea silua fuit.  
 Vnde loco vox est Holt-landia, lignea tellus  
 Dicta prius, quando nil nisi silua fuit.  
 Ergone delirant hanc qui duxisse tuentur  
 Nomen ab effreni cum furia tur equo?  
 Quid? qui conijciunt, ubi concava terra paludi  
 Innatat, Hol-landæ vocis habere sonum?  
 Affirmare ausim, Danorum incurfibus, arma  
 Scandica de patriis verba tulisse focus.  
 Quando Hollandiacas contra qui visitur oras  
 Zelanda est alio nomine dictus ager.  
 Tanta fuit Getica producta potentia gentis,  
 Intra Helium & Fleuum qua populauit opes.  
 Ausa quoque vastatis imponere nomina terris,  
 De patrio scripsit nomen utrumque solo.  
 Battus in hos campos odio seu lite nouerca  
 Egerat, hic Batavis arua laresque dedit.

Barba-

*Barbara nuper erat regio, si pulchrior illa  
 Visitur orbe, licet barbara nuper erat?  
 Nunc validis habitata viris, candore propinquos  
 Vincit, & ingenij dexteritate viget.  
 Prætereo omnigenas artes, artisque peritos  
 Quos alit, & celebri semper honore beat.  
 Quæque libris testata virum doctrina resulget,  
 Esse supernacuum dinumerare puto.  
 Inuideat Batavum decori cariosa vetustas,  
 Obscurent vates, fama loquetur anus.  
 Munditia mundum superat, prælata Batavis  
 Virginibus, toto nulla oriente fuit.  
 Fucus abest: Batavam quapropter dixerit aurem,  
 Quæ leuibus vatum non patet apta iocis.  
 Horrida Penelope veluti, Lucretia tristis,  
 Duræque mens casti scribitur Hippolyti:  
 Sic Batavos Annæ truces, Maro sicq; canebas  
 Acrem Romanum, fortis uterque fuit.  
 Sunt nemora & saltus auibus, pecorique, ferisque,  
 Piscosiq; amnes, flumineique lacus.  
 Moribus humanis vulgus civile, sonantem  
 Accolit Oceanum, Rheni habitâtque vada.  
 Quis freta commemoret? quis conscia stagna, paludes,  
 Urbis ab exitio nobilitata sua?  
 Isela, cognata lugens miserabile fatum,  
 Excipit Antiquis funera mixtus Aquis.  
 Leckia, tum Vahalis, cum Linga, Merua frequentant  
 Fertilis Hollanda iugera pulchra sua.  
 Hanc quoque limosi ditant lata ostia Mosa,  
 Amstelæque, in cuius ludimus ista sinu.*

L 3

Classi-

\* Genuinas plurimorum Batavæ Principum iustæ quantitatis icones, à diversis & maximè egregiis pictoribus Harlemi in porticu Carmelitana ad exteriorem repli parietè, qui Meridiem spectat, olim elaboratas & adamussim depictas, incuriosum ac rude seculum ad maiorem restauratæ porticus elegantiam ( ut tum videbatur ) asserib<sup>o</sup> obduxerat, murosq. contiguis tabulis ligneis vestierat, in quib. postea vno quasi filo Comites omnes pro artificis libidine fastiditis prioribus, effingebantur. Demum his obsidii tempore per præfidiarios diuulsis, tabulisq. refixis, denudati parietes venerandæ antiquitatis depositum veros suorum Principum vultus, habitusq. ex parte mutilos posteris produnt indice Guilielmo Thybauto ciue Harlemensi, qui eosdem optime fidelissimeq. delineatos, æternitati restituit. ne, quod urbis incendio penè euenerat, temporum iniuriæ post hac sint obnoxij.

*Classibus appulsus faciles, portusque capaces  
Pandit, in hos rerum quantum habet orbis agit.  
Piscibus, & salso puppes halece refertas,  
Immensa profert huc mare cuncta sinu.  
Non regio in terris tam paruo continet orbe  
Tot vicos, villas, oppida, castra, domos.  
Undetriginta muris quos circinat urbes  
Ut sileam (plures namque fuere prius)  
Plus quadringenti pagi, villæ que superba  
Urbium ad instar ouant, insula, & arua iacent.  
Caseus hic viridis premitur, fuluumq. butyrum,  
Ambo prius nunci mulctra liquoris erant.  
Hic lata segetes, armentis lata redundant  
Pascua, tum pecoris stat grege plenus ager.  
Enumerare tuas qui vult Hollandia dotes,  
A Equoreos pisces censeat, astra poli:  
Quot pluuia guttas, quot nutrit gramina campus,  
Poma quot autumnus, ver geniale rosas.  
Distrabit has avidus varias mercator in oras,  
Cognita merx Batavo nomine ubique valet.  
Olim dives opum, Comitum dum regna manebant;  
Nunc deserta iacent arua, per arma iacent.  
Felices Domini, queis paruit aurea tellus,  
O Francisciadum, Liligerumq. genus  
Vos venerans nova sacra fero, iuvat ora tueri,  
Et genuina iuvat cernere membra virum.  
\* Quas reperit Thybant obsessa ex urbe figuras  
Ardentis patriæ dat superesse rogis.  
Tros Anchisiades humeris vexisse parentem  
Dicitur, è flammis sustulit iste Duces.*

Sustulit

Sustulit iste Duces: palmam Guilielmus in arte  
 Pingendi egregiè vitra magister habet.  
 Eruta parietibus sacris nova signa refixit,  
 Abdita quæ seclis pene duobus erant.  
 Nominis, & fama monumentum insigne dicavit,  
 Hinc decus à sera posteritate feret.  
 Et docuit Comitum quotquot minitantiæ vibrant  
 Arma, cruentatæ succubuisse neci.  
 Artificem laus rara manet, sua facta per omnes  
 Cognita sint populis gentis & ora procul.  
 Urbibus Hesperia Thybant, & notus Eois,  
 Suspicit huius item Baticus orbis opus:  
 Bis senos Christi quæ pinxit in æde sodales,  
 Quæ que fuit iusti vera figura viri.  
 Molis, & artis opus miratur Granata, quamvis  
 Viderat hos, forma sed brevior, viros.  
 Artis fama viget, miratur vitra Philippus,  
 Et iubet effigiem pingeret ille suam.  
 Solus Alexandrum Cous pingebat Apelles,  
 Regis ab hoc Thybant picta figura fuit.  
 Quæ que dedit Batavum Delphis nova vitra Philippus  
 Sunt Harlemicola dona peracta manu.  
 Hesperia & Regi placuit pictura, placebunt  
 Icones hæ Batavis Principibusq; suis.

Vidi, & probavi, 1577. 7. Sept:

Joh. Molanus, Censor.



